



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Prologvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)



PRIMA PARS
SVMMÆ THEOLOGIÆ
S. THOMÆ
AQUINATIS.

CVM
COMMENTARIIS,
ET

DISPVATIONIBVS,
P. GABRIELIS VASQUEZ,
E SOCIETATE IESV.

PROLOGVS.



OVIA Catholica veritatis Doctor, non solum profectos debet instruere: sed ad eum pertinet etiam incipientes erudire (secundum illud Apostoli 1. ad Corinth. 3. Tanquam paruulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam) propositum nostræ intentionis in hoc opere est, ea quæ ad Christianam religionem pertinent, eo modo tradere, secundum quod congruit ad eruditionem incipientium.

Considerauimus namque huius doctrinæ nouitios, in iis quæ à diuersis scripta sunt, plurimum impediri, partim quidem, propter multiplicationem inutilium questionum, articulorum, & argumentorum: partim etiam, quia ea quæ sunt necessaria talibus ad sciendum, non traduntur secundum ordinem discipli-

Vasquez. Tom. I.

næ, sed secundum quod requirebat librorum expositio, vel secundum quod se præbebat occasio disputandi: partim quidem, quia eorundem frequens repetitio & fastidium, & confusionem generabat in animis auditorum.

Hæc igitur, & alia eiusmodi evitare studentes tentabimus cum confidentia diuini auxilij, ea quæ ad sacram doctrinam pertinent, breuiter, ac dilucide prosequi, secundum quod materia patietur.

PRÆFATIO
AD
PRIMAM QUESTIONEM.



IAM ET SI scientia Theologiæ circa Deum, & cætera, quæ ad ipsum pertinent, tanquam circa proprium obiectum versetur, in hac tamen questione S. Thomas, & Scholastici omnes in prologo libri sententiarum, id præstant, quod cæteri omnes naturalium artium, & scientiarum Scriptores in principio cuiusque scientiæ præstare solent, præmittere nimirum quædam prolegomena, ad

A

na, ad

na, ad explicandam necessitatem, naturam, & modum procedendi illius. Theologica igitur tractatio non tantum disputat de Deo, deque aliis rebus ad ipsum spectantibus, sed etiam, quod proprium est cuiusque alterius scientiæ, & facultatis, supra se disputationē reflectit, & de semetipsa ea, quæ diximus, considerat. Ex quibus sanè, nō pauca utilissima essent, nisi pueruli potius curiositates, quam gravitate Theologica, tractarentur. Sunt autem multa, quæ libenter omitterem, quodd difficultatem videantur habere communem cum rebus logicis, & philosophicis: à quibus, quoad eius fieri potest, libenter abstineo, ab iis præsertim, quæ ad explicandas Theologicas veritates parum conducere videntur. Verum quia S. Thomas de illis disputavit, quædam etiam nos attingemus: ne statim in ipso disputationum exordio difficultates effugere videamur. In progressu tamen operis multa libenter prætermittimus, quæ logica, aut philosophica omnino videbuntur, ex iis, quæ à recentioribus Theologis S. Thomæ interpretibus disputantur. Illa verò solùm ex professo examinabimus, quæ ad explicationem Theologicarum difficultatum, adiumento esse poterunt. Ut enim ostendamus disp. 12. c. 2. & 4. hæc nostra scholastica Theologia non tantum testimoniis Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, atque Ecclesiæ traditionibus præcipuè innititur, sed etiam rationibus philosophicis non parum iuvatur.

QVÆSTIO I.

De sacra Doctrina, qualis sit, & ad quæ se extendat, in decem articulos divisa.

ET ut intentio nostra sub aliquibus certis limitibus comprehendatur, necessarium est primo investigare de ipsa sacra doctrina, qualis sit, & ad quæ se extendat.

ARTICVLVS I.

Vtrum sit necessarium præter philosophicas disciplinas aliam doctrinam haberi.

1.
2.2. q. 2. ar. 3.
Et 4. Et 1.
prolo. art. 2.
Et 1. contra
Gen. cap. 4.
Et 6. Et veri.
q. 14. art. 11.

AD primum sic proceditur. Videtur quod non sit necessarium præter philosophicas disciplinas aliam doctrinam haberi. Ad ea enim, quæ supra rationem sunt, homo non debet conari, secundum illud Ecclesiast. 3. Altiora te ne quæsieris. Sed ea, quæ rationi subduntur, sufficienter traduntur, in philosophicis disciplinis: superfluum igitur videtur præter philosophicas disciplinas aliam doctrinam haberi.

Præterea, doctrina non potest esse nisi de ente: nihil enim scitur nisi verū, quod cum ente congruitur. Sed de omnibus entibus tractatur in Philosophicis disciplinis, & etiā de Deo: unde quædam pars philosophiæ dicitur Theologia, siue scientia diuina, ut patet per Philosophum in 6. Metaphys. Non fuit igitur necessarium præter philosophicas disciplinas aliā doctrinam haberi.

Sed contra est, quod dicitur ad 2. Tim. 3. Omnis Scriptura diuinitus inspirata,

Aristot. 6.
meta. com.
2. com. 3.
2.

utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum ad iustitiam: Scriptura autem diuinitus inspirata, non pertinet ad philosophicas disciplinas, quæ sunt secundum rationem humanam inuenta: vile igitur est præter philosophicas disciplinas esse aliam scientiam diuinitus inspiratam.

Respondeo dicendum, quod necessarium fuit ad humanam salutem esse doctrinam quandam secundum reuelationem diuinam præter philosophicas disciplinas, quæ ratione humana inuestigantur. Primo quidem, quia homo ordinatur ad Deum, sicut ad quendam finem, qui comprehensionem rationis excedit, secundum illud. Isa. 64. Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti diligentibus te. Finem autem oportet esse præcognitum hominibus qui suas intentiones & actiones debent ordinare in finem. Unde necessarium fuit homini ad salutem, quod ei nota fierent quædam per reuelationem diuinam, quæ rationem humanam excedunt.

Ad ea etiā, quæ de Deo ratione humana inuestigari possunt, necessarium fuit hominem instrui reuelatione diuina: quia veritas de Deo per rationē inuestigata, à paucis, & per longum tempus, & cum admittance multorum errorum homini proveniret: cuius tamen veritatis cognitione dependet tota hominis salus, quæ in Deo est. Ut igitur salus hominibus & convenientius, & certius proveniat, necessarium fuit quod de diuinis per diuinam reuelationem instruerentur. Necessarium igitur fuit, præter Physicas disciplinas, quæ per rationem inuestigantur, sacram doctrinam per reuelationem haberi.

Ad primum ergo dicendum, quod licet ea, quæ sunt altiora hominis cognitio ne non sint ab homine per rationem inquirenda, sunt tamen à Deo reuelata suscipienda per fidem. Unde & ibidem subditur. Plurima supra sensum hominum ostensa sunt tibi. Et in huiusmodi sacra doctrina consistit.

Ad secundum dicendum, quod diuersa ratio cognoscibilis diuersitatem scientiarum inducit. Eandem enim conclusionem demonstrat Astrologus: & Naturalis, puta, quod terra est rotunda, sed Astrologus per medium mathematicum, id est, à materia abstractum; Naturalis autem, per medium circa materiam consideratum. Unde nihil prohibet de eisdem rebus, de quibus Physicæ disciplinæ tractant secundum quod sunt cognoscibilia lumine naturalis rationis, etiam aliam scientiam tractare secundum quod

2.2. ar. 4.

2.2. ar. 2.
ad 2.

quod cognoscuntur lumine diuinæ reuelationis. Vnde Theologia, quæ ad sacram doctrinam pertinet, differt secundum genus ab illa Theologia, quæ pars philosophiæ ponitur.

Annotationes circa articulum.

EX hoc art. vnica elicitur conclusio. *Necessarium fuit præter philosophicas disciplinas, quæ ratione inuestigantur, sacram doctrinam per reuelationem haberi.*

Antequam ad disputationes singulas accedamus, operæ pretium erit, quadam præmittere ad ea, quæ S. Thomas in hoc articulo tradit, melius intelligenda. Primum est, Theologiam, inspecta nominis Etymologia, esse sermonem de Deo: quo circa scientiam, quæ de Deo tractat, Theologia dicitur. Verum, cum tractatio de Deo duplex sit, vna, quæ procedit ex principiis naturalibus, cuiusmodi est Metaphysica, altera quæ vitur principiis reuelatis (quales sunt articuli fidei) quæ nemo sola naturali ratione ducere, assequi potest; Theologia, quam scholasticam vocamus, & quæ sacra doctrina dici potest, de qua nobis in præfati erit sermo, posteriori modo de Deo, & aliis, quæ ad ipsum pertinent, disputat.

Secundo notandum est, sacram doctrinam capi posse, vel pro ipsa solum articulo cognitione, qui sola reuelatione nobis traditi sunt, cum plena ipsorum explicatione; vel pro iis conclusionibus, quæ ex ipsis articulis reuelatis colliguntur. Prior dicitur fides, ad quam etiam pertinet prophetia, & interpretationis donum, quo & sacra scriptura, & mytheria nostræ religionis explicantur: de quo dicitur ad Ephes. 4. *Dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam vero Prophetas.* Posterior vero, scientia Theologiæ, quæ in eo versatur, ut ex articulis colligat conclusiones, & confutet errores, non solum qui directè ipsis articulis fidei opponuntur, verum etiam qui ex eisdem articulis per bonam consequentiam conuinci possunt. Quæ verò ratione ad hanc spectet ea, quam positivam, ac moralem appellamus, dist. 7. c. 3. dicemus.

Tertiò denique animaduertendum est ex Caieta. in hoc articulo per philosophicas disciplinas non intelligere S. Thomam eas solum, quæ disputant de ente naturali ex materia, & forma composito, quod mobile appellant, sed etiam quæ de Deo tractant, ut Metaphysica, per media, & rationes omnino naturales. Quærit igitur sanctus Thomas, utrum præter has, necessaria fuerit aliqua alia doctrina, quæ non procedat per media naturalia; & respondet præter naturales, & philosophicas disciplinas, necessariam esse aliquam sacram doctrinam supernaturaliter reuelatam. Superest tamen explicandum quid in hac conclusione velit Sanctus Thomas: id quod sequentibus dubitationibus commodius fiet.

Prior dubitatio circa textum.

Prior igitur dubitatio est, quid nomine sacre doctrinæ intelligat Sanctus Thomas: utrum solum fidem, an etiam Theologiam, quæ ex fidei articulis, tanquam ex principiis deducitur. Hanc dubitationem proposuit Caietanus in hoc articulo, & optimam attulit rationem dubitandi, quæ est huiusmodi. Aut per sacram doctrinam, intel-

ligit fidem, aut Theologiam, si fidem, sequuntur duo incommoda, vnum est, quod frustra idem repeteret 2. 2. quæst. 2. art. 3. ubi quærit, utrum credere aliquid supernaturale, sit necessarium ad salutem, alterum est, quod æquiuocè usurparet nomen doctrinæ sacre in hoc articulo, & sequentibus: in illis enim non sumitur pro fide, sed pro Theologia, cuius necessitatem, naturam, & modum procedendi, non fides, conatur inuestigare, ut initio notauimus. Cum igitur in hoc ipso articulo affirmet eandem sacram doctrinam esse necessariam homini, & in sequenti probet, etiam esse scientiam: fides autem non sit scientia, consequitur, in hoc articulo non de fide, sed de Theologia sermonem esse. Aut intelligit per sacram doctrinam, Theologiam, & ita sequitur, præter doctrinam fidei, necessariam esse ad salutem etiam Theologiam, quod est planè absurdum, cum simplices sola fidei notitia possint saluari, & proprias actiones in finem suum dirigere.

Respondet Caietanus sacram doctrinam non accipi pro fide, quatenus distinguitur à Theologia, nec pro Theologia, ut à fide distinguitur, sed pro doctrina reuelata, & supernaturali, abstracta à fide, & Theologia, quæ ex parte Dei habet rationem doctrinæ, ex parte vero nostra rationis disciplinæ. Hæc autem sacra doctrina tali modo accepta necessaria est, siquidem species quædam ipsius, scilicet fides, necessaria est. Atque ita inde non sequuntur illa absurda superius posita. Non prius, quia idem non repetit S. Doctor 2. 2. nam hic agit de doctrina in genere; ibi autem de doctrina fidei speciatim, quatenus præbet principia Theologiæ. Non posterius, quia non usurpatur æquiuocè à Sancto Thoma nomen doctrinæ, hic enim capitur in genere abstracta, in sequentibus verò sumitur in specie pro Theologia denique non sequitur illud absurdum pro alia parte, scilicet solum fidem non sufficere sine Theologia ad dirigendas recte operationes in finem: quia sic non loquimur de Theologia, sed de doctrina sacra in vniuersum, ut superius explicatum est.

Hæc Caietani doctrina vera quidem est & ad mentem Sancti Thomæ videtur posse accommodari, de qua præcipue est difficultas. Adhuc tamen difficile satis apparet, quod Caietanus ait Sanctum Thomam non loqui de sacra doctrina, ut accipitur pro hac scientia Theologiæ, sed tantum in genere, ut dictum est. Primum quia Sanctus Thomas in sequenti articulo nulla facta distinctione de sacra doctrina quærit utrum sit scientia, & respondet esse scientiam, quod planè intelligit de Theologiæ habitu: non de sacra doctrina in genere. Secundò, quia idem in præfatio habet, *Tentabimus cum confidentia diuini auxilij ea, quæ S. Thomas ad sacram doctrinam pertinent, breuiter, ac dilucide prosequi.* Vbi nomine sacre doctrinæ hanc Theologiam speciatim, non doctrinam sacram in genere, planè intelligit. Tertiò in principio quæstionis ait, necessarium esse tractare de hac doctrina, qualis sit, & ad quæ se extendat: ac primo inquirendum esse de necessitate huius doctrinæ: secundò utrum sit scientia, &c. quæ sane de eadem doctrina dicta videntur. Quartò, in hoc articulo in solutione tertij, aperte loquitur de Theologia, quæ est sacra doctrina, & scientia de Deo: atque in particulari dicit, idè differre à scientia Metaphysica, quæ etiam est de Deo, per diuersa tamen principia: quia diuina scientia per diuersa media de eodem, non solum

5.
Prima responsio Caietani.

6.
Impugnatio Caietani expositio.

Theologia
nomen.

3.
Varie notationes Theologiæ, & quomodo à scholasticis sumatur.

Ephes. 4.

Titulus S.
Thomæ ex
ponitur.

Titulus S.
Thomæ.

4.

Fatio dubi-
tandi.

Vasquez Tom. I.

A 2

lum

lum subiecto, sed etiam propositione esse possunt.

Secunda responsio recentiorum.

Theologia necessaria toti resp. non singulis hominibus.

7.

Recentiores quidam S. Thomam explicant in hunc modum: ut loquatur de sacra doctrina speciatim, prout est scientia quædam Theologiæ ex principiis fidei deducta, quam præ manibus modò habemus, eamque dicat, esse necessariam homini ad dirigendas suas operationes in finem supernaturalem, alio tamen modo, quam fidem; hæc enim singulis ad salutem; at verò Theologia vniuersæ resp. Christianæ ad eundem etiam finem est necessaria. Quare cum dicitur in hoc articulo, esse homini necessariam, explicant, non vnicuique sigillatim, sed homini in vniuersum, hoc est, generi humano. Ea vero necessitas facile demonstrari potest. Cum enim positus semel principiis fidei, ex scriptura malè intellecta, vel ex suo cerebro multi possint falso deducere plura, quæ fidei principiis contraria sunt, unde contingere potest, ut quis paulatim eadem principia hæresibus, & erroribus perturbet, ac destruat; ideo necessarium fuit esse scientiam Theologiæ, quæ optime discernat, quidnam sit contra principia fidei, ipsaque ab erroribus defendat, ac illæsa conseruet.

Theologia Patrum, & nostra eadē.

Cum autem dicitur esse necessaria scientia Theologiæ, non est intelligendū, ut est modo post tempora Magistri in methodum redacta, sed hoc, vel alio modo disposita, quam habuerunt semper Patres à tempore Apostolorum, & forsitan puriorem, quāvis non ita methodice, & ordinate compositam. Illi enim occasione errorum, & hæresum, ex principiis fidei maxime in scriptura expressis contra errores insurgentes, multa optimè deducebant; id quod nunquam in Ecclesia Catholica defuit. Hac ergo ratione hæc doctrina speciatim necessaria est, non singulis, sed vniuersæ Ecclesiæ. Talis verò necessitas aptissimè probari videtur à S. Thoma ex eo, quod ad dirigendas operationes in finem supernaturalem, necessaria fuit aliqua notitia supernaturalis ex reuelatione acquisita. Nā scientia Theologiæ ex reuelatis principiis procedit, & ea tutissima ratiocinatione à quouis errore conseruat, ut explicatum est.

8.

Tertia responsio auctorum.

Hæc sanè necessitas, mea quidem sententia, negari non potest: verum hanc fuisse mentem Doctoris sancti, mihi admodū difficile apparet. Quod si hoc docere voluit, satis obscurè id dixisse videtur. Posset igitur hac ratione S. Thomas explicari, in nomine sacræ doctrinæ intelligat Theologiam, non fidem infusam. Theologia verò, sicut quæcumque scientia non solum complectitur notitiam conclusionum, sed etiam principiorum, quæ eidem scientiæ propria sunt. Neque enim vnus est habitus distinctus circa principia, & alius circa conclusiones, sed vnus, & idem extensione maior. Excipio principia vniuersalissima, quæ non propria alicuius scientiæ, sed omnibus communia sunt: hæc enim ad diuersum habitum spectant. Hoc posito, quod disputatione 7. probabitur, Theologia non tantum est notitia, & doctrina conclusionum, quæ ex fidei articulis deducuntur, verum etiam est doctrina ipsorum articulorum, qui sola reuelatione supernaturali nobis noti sūt. Cum ergo sanctus Thomas dicit doctrinam sacram esse necessariam vnicuique, ut dirigat suas operationes in finem, intelligit hanc nostram Theologiam, quæ licet secundum totam latitudinem non sit necessaria, est tamen ex aliqua parte, quatenus videlicet est principiorum, sine quo-

rum notitia saluari homo non posset. Est enim necessarium ad salutem nosse aliquid supernaturale; ut constat ex Secunda Secundæ, quæst. 2. art. 3.

At dicit aliquis, hoc modo Theologia non est scientia, de qua Sanctus Thomas in sequentibus articulis disputat, sed fides, de qua 2. 2. q. 2. art. 3.

Quare incidimus in illud incommodum, quod aserebat Caietanus, bis scilicet eandem rem à sancto Thoma tractari. Respondemus habitū principiorum Theologiæ, id est articulorum fidei, qui etiam circa conclusiones versatur, & cum ipsa Theologia idem est, non esse habitum fidei infusam, sed fidei acquisitam. Unde non sequitur habitum Theologiæ esse eundem cum habitu fidei infusam. Qua ratione 2. 2. quæst. 5. artic. 3. dicemus, in hæretico non manere fidem infusam: manere tamen posse sine illa Theologiam, quia saltem manent principia aliqua credita fide humana, ex quibus, sicut prius, deducit hæreticus conclusiones; ideoque manet in ipso Theologia, non tantum habitus, sed etiam actus circa multas conclusiones: ut si aliquis erraret in materia solum iustificationis, posset totam scientiam de Deo, quæ non supponit, quod est de iustificatione, optimè retinere. Ex hoc verò colligitur, non tractari idem bis à sancto Thoma nam 2. 2. solum querit de fide infusam, hic verò de sacra doctrina, quam licet dicat esse ex supernaturali reuelatione, non tamen asserit esse notitiam ex substantia, & natura sua supernaturalem, sicut est fides infusa, de qua agit Secunda Secundæ. Nam quamuis multa, quæ de Deo credimus, non possumus ratione naturali inuestigare, & sola reuelatione supernaturali teneamus, ea tamen (supposita fide humana, & acquisita, quæ ex se, & natura sua non est secundum substantiam supernaturalem, nisi ex parte causæ, hoc est, reuelantis) credere possumus, ut 2. 2. quæst. 1. ostendimus, & optime probat Scotus, quem ibi etiam citabimus.

Cum igitur hic docuit Sanctus Thomas, aliquam doctrinam sacram esse necessariam, intellexit Theologiæ scientiam, non fidem infusam, & hanc Theologiam, quatenus versatur circa principia, asserit esse supernaturalem ex parte reuelantis, quia nemo illam inuestigatione rationis naturalis sibi posset comparare. Ac propterea dixit in conclusione præter philosophicas disciplinas, quæ per rationem inuestigantur, esse necessariam sacram doctrinam, quam vocauit supernaturalem, non secundum substantiam, sed ex reuelatione.

Dicit aliquis secundo notitiam fidei acquisitam circa principia religionis nostræ, non esse necessariam homini ad salutem, & ad dirigendas suas operationes in finem supernaturalem, sed solum fidem infusam. Respondemus, etiam acquisitam esse necessariam, quia, ut ostendimus 2. 2. quæst. 1. art. 1. sine illa non habetur infusa; ad hanc enim fides acquisita est conditio necessaria. Verum cum de re ipsa satis constet, circa interpretationem S. Thomæ hæc satis sunt, & hætenus de priori modo, quo dicit auctor, doctrinam sacram esse necessariam, ad dirigendas videlicet operationes in finem supernaturalem. Est autem & alter modus, quo etiam Theologia dicitur necessaria, de quo disputatione prima dicemus.

Poste.

Prius quam ad posteriorem modum, quo Theologia necessaria est, progrediamur, circa rationem S. Thomæ, qua probatur necessariâ esse sacram doctrinam priori illo modo, superest difficultas quædam cum Scoto. Is enim in 1. quæst. Prologi §. *Ad quæstionem igitur*, & sequentibus, dicit, non ideo esse necessariam doctrinam aliquam ex supernaturali reuelatione, quia finis noster, & beatitudo sit supernaturalis secundum se. Existimat enim nullam formam, & perfectionem, qua fini nostro coniungimur, secundum substantiam esse supernaturalem, sed omnem esse naturalem, & naturaliter potentiam creatam perficere: solum vero dici supernaturalem ex parte causæ efficientis, quia illa perfectio non potest obtineri, nisi à causa agente modo supernaturali. Quare ipse non negat necessariam esse doctrinam supernaturalem ex parte efficientis, sed solum eam esse supernaturalem ex se, & natura sua. Contra hanc sententiam disputat Caietanus in hoc articulo. Sed nos latius disputatione 113. c. 2. contra Scotum ostendimus, aliquam formam esse supernaturalem perfectionem nostram, & talem esse consecutionem ultimi finis, gratiam, & alia, quæ ibi enumerabimus. Quare optima censeri debet ratio S. Thomæ in hoc articulo: aut saltem verum est, quod supponit, scilicet finem nostrum, & consecutionem illius esse supernaturalem perfectionem naturæ nostræ. Iam ad aliud gradum faciamus.

DISPVT. I.

An doctrina sacra sit necessaria ad veritates etiam naturales sine errore cognoscendas.

Opinio Caietani, cap. 1.

Vera sententia, cap. 2.

CAPVT I.

Opinio Caietani.

Postquam difficultates omnes circa textum, & mentem S. Thomæ exposuimus, superest ut doctrinam ipsius, sicuti initio promissimus, altius examinemus. Et ante omnia, an doctrina sacra posteriori modo sit necessaria, hoc est, non modo ad supernaturales, sed etiam ad naturales veritates sine errore cognoscendas. In qua quidem controversia prior sententia est Caietani in hunc articulum §. *Antequam probentur*. Qui paucis docet, ad hunc finem non esse necessariam simpliciter sacram doctrinam, sed vtilem tantum; ideo verd à S. Thoma dici necessariam etiam ad hunc finem, quod ad bene esse illius necessaria sit. Ex 5. namq; metaph. cap. 5. constat, bisariam aliquid dici necessariam: primum simpliciter, deinde ad melius aut bene esse. Cum igitur, inquit Sanctus Thomas, dici necessariam doctrinam reuelatam, intelligit Caietanus, necessariam ad bene sciendum etiam veritates, quæ naturaliter cognosci possunt, id quod idem S. Doctor indicasse videtur. Postquam enim dixit esse necessariam sacram doctrinam ad ea, quæ de Deo naturali cognosci possunt, ex cuius cognitione verapender homini salus, protinus subiungit hæc verba: *Vt igitur salus hominibus, & conuenien-*

Valquez. Tom. I.

tius, & certius proueniat, necessarium fuit, quod de diuinis per diuinam reuelationem instruuntur. Quæ sane verba referri nequeunt ad notitiam eorum, quæ ratione naturali inuestigari non possunt, sed ad ea quæ naturali intelligentia assequi valeamus. Ad hæc ergo est necessaria reuelatio, vt conuenientius, & certius cognoscantur.

Forfan hæc sententia Caietani conuenit cum eo, quod ipse tradit 1. 2. q. 109. artic. 1. nimirum hominem viribus naturæ, sine auxilio gratiæ, posse cognoscere omne verum, tam speculatiuum, quam practicum, quod sub naturalibus principiis continetur, & ex illis deduci potest, id quod hac ratione confirmari potest. Si veritas aliqua est intra limites naturalis veritatis, consequenter erit obiectum naturale, & ex se intellectui humano accommodatum: Ergo sufficienter ex se sine reuelatione poterit intellectus veritatem illam assequi. Vt quid ergo reuelatio ipsius Dei est necessaria? Et quamuis aliquibus ea necessaria videatur, aut propter vitæ breuitatem, aut propter molestiam agnitæ, vel ob aliam causam, qua sæpe homines à speculatione impediuntur; non tamen propterea videtur omnibus, eximij etiam ingenij philosophis necessaria. Quare Caietanus 2. 2. quæstio. 2. articulo 4. docet necessariam esse fidem, seu diuinam reuelationem non singulis hominibus, sed toti hominum vniuersitati, in qua sunt multi tardioris ingenij, breuioris vitæ, aut alio modo impediti, vt intelligere nequeant omnem naturalem veritatem certò, & sine yllò errore, nisi ab aliis edoceantur: & quia non omnes habere possunt doctores peritos, necessaria est communis quædam doctrina reuelata, quæ sine rationibus, & simpliciter omnibus tradatur.

CAPVT II.

Vera sententia.

Verior tamen sententia est, doctrinam reuelatam hoc modo, non solum necessariam esse communitati, & vniuersitati hominum, sed etiam singulis hominibus peritioris adhuc ingenij. Id quod expresse colligitur ex S. Thoma 2. 2. quæst. 2. a. 4. ubi docet, reuelationem supernaturalem, seu fidem tribus modis esse necessariam. Primò, vt citius homo ad veram rerum cognitionem perueniat, quam demonstratione non tam cito assequeretur. Secundò vt cognitio Dei, & eorum, quæ Deo conueniunt, sit magis communis, quod intelligitur generatim de tota hominum vniuersitate: quia multi sunt, qui ratione naturali hæc inuestigare non possunt, aut ob ingenij tarditatem, aut propter breuitatem vitæ, vel ob alia impedimeta: ideoq; communitati hominum necessaria est doctrina, & auditus fidei. Tertiò addit necessariam esse fidem hanc diuinam alia ratione, scilicet ob certitudinem, ne contingat errare, quia homines vix aut nunquam plene assurgunt, etiam si philosophi sint, ea, quæ reuera naturali ratione indagari possunt. Ea enim est corruptio humane naturæ, & sensuum incertitudo, vt singuli in multis errent. Atque ideo nullus philosophus adhuc fuit reuelatione fidei destitutus, qui rectè & sincere nouerit ea, quæ ratione naturali demonstrari aliquo modo de Deo possunt. Licet enim aliquis nouerit Deum esse vnum, errant tamen negando illi scientiam omnium futurorum: alius negando prouidentiam,

A 3

tiam,